

## † R. P. Felix Delerue (1870-1938)

(Prov. Lugd.)



Non solum egregia natura, verum etiam et magnis laboribus et eximiis officiis R. P. Felix Delerue dignus nobis visus est cuius memoria in Analectis posteritati mandetur.

In dioecesi Insulensi (*Lille*), quae vergit ad partem septentrionalem Galliae, in pago *Leers* d. 13 Ian. 1870 natus est e parentibus christianae legis maxime studiosis. Quibus minime obstantibus, ipse cum duobus suis fratribus nomen Congregationi dedit, in qua et singuli quinquaginta annos professi emensi sunt, et natu maximus etiamnum superest.

Rm̄us Pater Mauron, qui quotannis Operarios (*Uvrier*) iter faciebat, ut in hoc iuvenatu animum parumper a curis abduceret, Felicem iuvenem pietate ac ingenio insignem facile dinovit. Itaque, quum Romae studentatum Provinciae Romanae constituisset, eum illuc venire iussit, quippe qui haud parvam de ipso spem concepisset. Quo factum est ut P. Delerue et in Urbe theologiae moralis studiorum curriculum perfecere et in Archibasilica Lateranensi sacerdotio initiatus fuerit.

In Dongen, in studentatu Provinciae Gallicae, nullum tunc aliud enchiridion praee manibus habebant (o felix quondam tempus!), nisi Divi Thomae Summam theologicam, quae tota atque integra tradebatur. Qua penitus transcripta, Fr. Delerue unamquamque quaestionem ad formam expositionis redegit, corpus articuli et responsa ad obiectiones ita in unum fundens, ut ne minimam quidem particulam Angelici Doctoris doctrinae silentio praetermitteret. Qui simul, quum sermone Graeco non minus scite quam Latino uteretur, Aristotelis tractatus qua exarati sunt lingua perlustrabat, eos cum Divi Thomae eadem de re tractantibus componens. Hinc firmam illam eandemque altam scientiam hausit, qua S. Alfonsi de rebus dogmaticis ac moralibus doctrinas tam ardentem exposuit, explanavit, defendit.

Romae, ubi cum Provinciae Romanae studentibus degebat, linguam Italicam tam perfecte complexus est, ut postea, ne R. P. Francisco Pitocchi, magistro suo eidemque amico, enixe roganti deesset, exercitia sic dicti « Mese di Maggio » in ecclesia nostra *Monterone* feliciter praedicavit.

R. P. Walter in suo libro *Villa Caserta* (p. 244) haec habet: « R. P. Delerue die 24 Septembris 1891 Romam venerat, ut militum in Gallia con-

scriptionem declinaret. Studiorum curriculo absoluto, et die 18 Martii 1893 in Basilica Lateranensi sacerdotio ex manibus Em̃i D. D. Lucidi Card. Parocchi suscepto, domui generalitiae adscriptus et bibliothecae praefectus est. Quum autem videret, librorum catalogum nondum rite esse confectum, una cum R. P. Alphonso Hermans diuturnum illum nec parum fastidiosum laborem alacri animo suscepit, et communi totius familiae gaudio feliciter perfecit. Postmodum Cortonae Ius Canonicum invenes nostros docuit, donec (die 26 Iulii 1898) in Galliam redire licuit ».

Rectore Maiore Rm̃o P. Raus, Provincia Gallicae moderatores, auctoritate R. P. Ioannis Kannengiesser impulsi, quem P. Delerue adiuvabat in praeparandis et pervulgandis Institutionibus theologiae moralis Alfonsianae Patris Marc, pluries continuo in lucem prolatis, hunc in Provinciam cui adscriptus erat revocaverunt. Hinc ex Lectore studentatus Cortonae Lector evasit studentatus *Thury-en-Valois*. Quo dein persecutione soluto, missionarius factus est.

Belli tempore occasionem egregiam habuit fecundi ministerii apud milites exercendi: fuit enim « eleemosinarius militaris », ut dicunt. Non modo auctoritate et aestimatione valuit, verum etiam amore et admiratione crevit cum apud omnes, tum maxime apud eos qui militibus praeerant. Quorum quidem omnium nullus de vita migravit, nisi per eum religione sustentatus et recreatus. Quum tamen tres obsisterent ex iis quibuscum vivebat, amicitias cum eis post bellum aluit ac nutrit, quarum ope eos ad Deum convertit.

Pace restituta, totum se animarum saluti dedit missionibus et exercitiis spiritualibus ad moniales, religiosos et sacerdotes procurandae. Si quid interea otii nactus erat, calami, ut aiunt, apostolatui vacabat. Hocce modo in lucem prodierunt eius opera de Evangelicis Parabolis, de virtutibus christianis et religiosis, aureus libellus *Mon programme*, quo tot fideles amanter utuntur, item *Soyez bénie*, quo tot animae Rosario devotae adiutae sunt et delectatae.

Ad aspectum cuiuscumque casus spiritualis misericordia commotus, nec quidquam cuilibet ausus denegare, sexcentis sollicitudinibus curam adhibebat, quibus tempus et vires ei exhauriebantur. Quot conscientias vexatis ac scrupulis exagitatis pacem reddidit! Quot negligentes ac Dei obliviosos ad religiosam vitam reduxit! Quot communitates et etiam Congregationes ipsius opera fervori ac prosperis rebus velut denuo natae sunt! Epistolas scribere, concursationes facere, itineribus se dare, quin immo tractatus spirituales exararare non dubitabat, quo efficacius opem auxiliumque egenti ac petenti porrigeret. Quid multa? Nullo modo numerabat nec flocci faciebat corporis defatigationes, comedere aut dormire oblitus, noctu non secus ac interdium labori incumbens.

Quae cum ita essent, Reverendissimus Pater ab eo petivit ut opera ascetica Sancti Alfonsi critica ratione vulgaret. Quod eum et ministerio verbi subtrahebat et impediabat quominus pergeret ac perficeret Gallicam eorundem operum translationem. Iam enim ediderat sic dictas « Visitaciones », pulchriores nostri Patris preces eiusque librum « Vera Christi sponsa ». Quae translatio omnium erat in votis, quum priores omnes et singulae aliquo modo deficerent, et unus P. Delerue is esset ut eam perfecte faceret, quippe qui linguae Italicae naturam ac proprietatem non ignoraret, Gallicae pernosset. Non poterat tamen Rmo Patri morem non gerere. Et re quidem vera Alfonsum amore praecipuo diligebat eiusque doctrinam studiose perspectam magnopere admirabatur necnon ardentem diffundebat. Iam in lucem prodiderat opus historicum idemque philosophicum de systemate morali S. Alfonsi, cui operi tum maiora Seminaria tum religiosi scholasticatus vehementer favere. Eius in S. Alfonsum studium ipsissima causa est cur confratres Lugdunensis Provinciae eum Vocalem delegerint, qui duobus superioribus Capitulis generalibus interesset.

Igitur P. Felix operam navavit ut supradicta editio critica in vulgus prodiret, adiuvantibus quidem aliis nonnullis Confratribus diligentissimis. Quo in negotio laboriosas adhibuit monachorum S. Benedicti inquisitiones, veri docti hominis religionem ac fidem, iudicium omnino severum, quamvis rationalistarum menti alienum. Morte impeditus est quominus plura quam sex volumina publici iuris faceret.

Mortem adventare ipse solus non animadvertibat; volebat enim ad gloriam et honorem S. Alfonsi inchoato operi fastigium imponere. Confratres, quos res non fallebat, moerore conficiebantur, nam eis carus erat propter officia singularia quae praestabat et vigilem caritatem quam in omnes exercebat. Movebat quidem admirationem eius ingenium, animus excelsus et altus, simplicitas indolis et loquendi libertas quae feritatem quamdam interdum non abhorrebat; at movebat imprimis eius eximius in Christum et B. Virginem amor. Hunc confratribus gaudebat praedicatione instillare, Fratribus laicis praesertim collationibus spiritualibus. Qui ut iucunditatem caperent, non renuebat in eorum commodum alta voce orationi vacare, praeparationi ad communionem et gratiarum actioni.

Contendere non ausim nihil in eo vitii fuisse. Eius natura ad iram prona in repentinos motus erumpebat, quod statim humiliter dolebat; nunquam tamen nimio sui amore inflammatus effervebat, sed in eos elatus, qui aut S. Alfonsum negligere ac prodere aut de Congregatione male mereri ipsi videbantur. Neque certocertius is huiusmodi erat quem sibi omnes documento sumerent in silentio servando et observantia regulari. At facile ei tribuebatur huius peccati venia, quum perspectum haberent interioris eius vitae ardorem, indefessam ac continuam orationem, cuius aliquid in vulgus emanavit sublimibus quas edidit meditationibus ad instar dialogorum Chri-

stum inter et animam ad doctrinam ac pietatem insignibus. Eum Confratres non pauci spiritus moderatorem sibi elegerunt, quod in omni hoc officii genere navum ac diligentem se praebebat.

Celeri ac dulci morte consumptus expiravit d. 29 Dec. 1938, in domo S. Stephani. Peripneumonia quaedam eum sustulit, quatuor dierum spatio, quorum decursu, statim Ecclesiae sacramentis sponte ac libenter recreatus, vix adesse agnovit Superiores Confratresque qui morientem adiuverent. Quae mors gratia habita est, nam P. Felix, qui tam magnifice fiduciam in Christum et Virginem extollebat, animo erat anxio:angebatur mortis et Dei iudiciorum cogitatione.

Quum nuntium accepissent eum decessisse, sacerdotes, religiosi, moniales virique saeculares undique epistolas scripserunt, quibus de eo praedicarent quanto animabus emolumento fuisset, quantunque sui desiderium relinqueret. Quem plane credimus benignissime a S. P. Alfonso in limine aeternitatis exceptum esse, cuius amore flagrarat cuiusque in gloriam laborem paene infinitum susceperat <sup>1</sup>.

---